EADGARVS
IN IACOBO
REDIVIVUS

Seu

Pietatis Anglicanæ Defensio:

QVAM:

REVERENDISS.mo Cantuariensi Archiepiscopo
Consecratam:

reTalion. leg. tabula 12. *Isaaco Casaubono*

Ab

Heriberto Rosse-weydo S. I. T. dictæ, opponit

Adam Reuter.

LONDINI,

Anno Dom. 1614.

A4R21

BIBLIOTHECA·BODLEIANA·

REVERENDISS.mo IN CHRISTO PATRI ac Domino, Dom. GEORGIO, diuina Prouidentia Cantuariensi Archiepisc. totius Angliæ Primati & Metropolitano, Reg. Majest. a Consiliis sacratioribus, Domino suo & benefactori Clementissimo S.

VEniam, supplico, *impetrent hæc mea. Quia* parua *consecrantur* magno. *Quia a me, qui,* Tuæ Clementiæ *quantum debeo! Dicam verbo:* Tua quantum clementia Deo. *Ab hoc nisi conseruata, quam gloriaretur*, Cantuariam iam non habere Dunstanum *aduersarium! Quodenim frequentius illi concludendi genus, quam* ex permissione ad iustum, ex temeritate ad martyrium? *Sed*, quæ Dei benignitas, Tui *præseruatione leuati sumus onere de hisce contra* aduersarium *disputandi: nacti occasionem* Cantuariam adhuc Dunstanum *aduersario probandi. Quod futurum commodissimè, breuitati si venia* a Te data, a pietate Tua *si conatus fuerit approbatus. si adiutus meus. De quo si dubitarem*, sacrilegium *certè insigne committerem. Qui enim* munificam *inuenerim* Clementiam tuam *in priuatis meis, num eandem defuturam opinabor* fidei, religioni, Ecclesiæ? *Scit* Anglia *quam æmula T.C. viarum Domini & iustitiarum Dei nostri: Experitur &* Anglus & Exterus *quam largè Eleemosinas in Dei obsequium insumat:*

de ædificanda Ecclesia Consilia firmet: deficientia defensioni pietatis suppleat: breviter, in omnibus se Dunstanum, *quia in omnibus pium, in omnibus devotum exhibeat. Faxit Deus*, Cantuaria diu suo Te Dunstano *gaudeat*, Patrono

T. C.

Devotiss.

Londini. 7. Decembr.
Ann. 1614. *Cliens*

ADAM REVTER.

E *re* raro, at de *qualitate* eius disputatur sæpissimè. Vt enim *illa* incurrit sensus, sic fugit *hæc*. Quia *interna*. quia *ex suo subiecto* varia; dum ex humore alterante: quia in & *ex Composito* Quod iudicatu difficillimum. Facillimum at de *vno*. Quia mutatione exemptum: *Composito* omni ob collationem cum altero, & ita *ex obiecto*, augente difficultatem. Miser effectus lapsus! *Esse Deum*, omnes sciunt: testatur *Cicero*, a loquitur *experientia*: firmat *noui orbis historia*: b *Qualis sit*, pauciſſimi. impura in *area* animalia ne adferam aut cum puris conferam; arca, & qui in ea quanta? *Octo* capax hominum. c Et *Sodomis*, non inveniuntur *quinq*; in innumeris. d Benè & de *Israelitis* scriptura: *Non fecit taliter omni nationi*. e D. *Christianis* eadem: *Filius, qui est in sinu patris ipse renelauit nobis*. f Vis naturę? *Esse corpus*, quis nescit? *Quale* vix vlli. Omnes *nec Medici* norunt morbos: & corporis constitutionem vt cognoscant, *secando* id facere conantur *Anatomici*. Accedat *politicum*. Natura edocti omnes sciunt *naturam* ipsam *sine imperante & obediente* esse nō posse constare ve: g ipsi quoq:, qui *apud Ciceronem* h contra naturam viuunt latrones: *de modo* autem quanta inter omnes diuersitas? Ne ipsi quidem hic constantes *Romani*. Monarchi: m fugat, Aristocratiam inducit *Regi fugium* Hanc cum illa iterum commutat aut *potentum æmulatio*, aut *Reipubl. ipsius vtilitas*. i Formalia historicorum non ad ponimus. Quia in publico. Nec pluribus lapsus miseriam exemplis deducimus. Optimum siquidem hic: *Malis remedia, dubiis inquirenda*

a *Quot homi-num linguæ tot nomina Deorum.* 1. *Nat. Deor.*
b *Franc. Lopez de nouo orbe.*
c *Gen.* 7.
d *Gen.* 18.
e *Psal.* 147.
f *Iob* 4.
g *l.* 1. *ff. de* 1 L. & *Cic.* 2. *de* LL. & *ap. Restaur. Castal. de imper:* .89. *n.* 2.
h 2. *Offic.*
i *Possim* 1 *iui. Halicar. Dio, Tacit.*

adhibenda remedium veritas. Hæc magis. Huius enim *neglectus*, illorum parens. Ad lapsum prouocamus. Ex hoc *mors.* k Illorum itaq; & mors huius futura obseruatio est. Audiamus Veritatem: *Fac hoc & vives.* l Nec audiamus saltem, sed illam & ita sequamur rationem. *Resoluamus* itaq; *compositum*: ex quo malum, & ita simul dubium. Quam diu enim hominum *Consilia simplicia*, tamdiu *vera*, tamdiu bona. Eo ipso enim momento, dum diuinis immiscet *mulier* sua, miscentem & posteros opprimit miseria. m Resoluamus. Quia rectè *Augustinus: Simplicissima fides, optima fides.* Resoluamus *in principia.* Principia? A *Melitone* condemnatur *Lencius*, quia asseruit *Apostolos duo docuisse principia.* Ipse tu testis. o Rectè. Vt enim possibile duo? Quia *impossibile sit nisi vnus.* Notum hoc immotum rationis: *Vnum est necessarium.* Notum hoc indubitatum scripturæ: *In principio Deus creauit cœlum & terram.* p In *principium* igitur. Quod autem hoc? Docebit te hoc aureum: *Nosce teipsum.* Quis? *Amor ne pereas.* Et hoc *natura* es. Quod testantur vel bruta animalia. Quia natura: ergo & a Deo. *Deum* enim & *Naturam* pro vno sumunt eodemq; saniores & sapientores ipsi Ethnici. q *Amor* igitur, *imago Dei in homine.* Quia vita. Hoc igitur principium. *Christus* igitur. Hic enim *vita*: r in hoc creati. s Quia *creati in principio*: t *in sapientia*: u *in Verbo*: x Consule scripturam. In hoc igitur resoluamur principium. Quod fecerimus, si omnia fecerimus secundum *Verbum.* Nec tu ipse negaueris. *Verum* igitur vt habeatur, *malum* euitetur, *dubium* omne remoueatur: Theologia, anatomia, ratione, te, testibus: *ad scripturam*, quia *ad Christum*, quia *ad principium.* In hac maxime, si in omni dubio, si in disputatione omni. Sic *Ethnicis olim* & adhuc ad *viros sapientes*, ad *rationem*, ad *ora-*

k *Gen.* 3.
l *Matth.* 22.
m *Gen.* 3.
o *Tab.* 6.
p *Gen.* 1. *Ioh.* 1.
q *Plin. lib.* 2. *c.* 7. *Senec. de Benef. lib.* 4. *Arist. lib.* 2. *de Cœlo. Bened. Varchi lezzione della natura.*
r *Ioh.* 11.
s *Ioh.* 1.
t *Gen.* 1.
u *Sap.* 7. & 8.
x *Ioh.* 1.

oracula: ſic nos omnes hodie: ſic vniuerſus ſemper & vbiq; mundus. Exempla ſi deſideras, remiſſum te volumus ad quæ ſcripſimus alibi. y Ad hos ſi, ad *Deum* magis. Hinc & illi in dubio *ad oracula* magis: hinc *Chriſtiani* in extremitate omni *ad Deum*. Conuenienter omninò. Quia enim ἀλογία eſt *cauſa dubij*, *quia ignorantia*, λόγος erit *cauſa veritatis & ſcientia*: quia ἀλογία eſt *cauſa mali*, λόγος *cauſa erit boni*. Conſecutionis rationem quæ ex *Iobio*, a *Athanaſio*, b *Clemente Alexandrino*, c & iterum ex *Athanaſio*, d *Ambroſio*, e *Cyrillo*, f *Damaſceno*, g *Aquinate*, h contra *Caſaubonium* i adducis monſtrabunt veriſſimam. Nec hæc ſaltem quæ a te relatiue, ſed & quæ ponuntur affirmatiue. Dum hominem perplexum totam debere ſequi aſſeris *præeuntem antiquitatem*. k Nec mirum ibi *veritatem*. Quia *Chriſtus* ipſe nos eò ablegat, dum: *Ab initio* inquit, *non erat ſic*. l Et iterum dum *ad legem & teſtimonium*. Quia teſtis *Tertullianus*: *Antiquiſsimum quodq; veriſsimum*. m Laudas enim & cõmendas *Scholaſticos*, quia tu ipſe Scholaſticis fidẽ habes: n quia *hæreticorum ſubæratos nummos ad ſacrarũ litterarum probant obruſſam, ad rationis expendunt trutinam*: Concilijs & Pontificibus, o *Iohanni Gerſoni*, p *Damaſceno*, omnibus *ob Verbum*, q fidem derogas quos vocas *hæreticis*: *quia omnes iam ab antiquo non ſcripturæ, ſed ſuos conceptus, ſuas proferant fantaſias, & eas pro ſcripturis venditent*: aſſeris ex veſtratibus quoq; *vnius alterius ſe in ture potius humano quam diuino conſulti viri prædamnatam opinionem non debere toti Chriſtiannati imputari*. r Ex natura itaq; *patribus concilijs, pontificibus, ethnicis, te*, in omni diſputatione patet recurrendum *ad ſcripturam: ſcriptura conueniens rectum eſſe, verum eſſe, pium eſſe: ſcripturæ contrarium eſſe iniquum, eſſe mendax, eſſe impium. Hoc*

tuæ

y *Delineat. conſil.*

a *l.1. Oecon ap. Photium. cod. 222.*
b *In diſt. Matt. 11. Omnia mihi tradita.*
c *in Protrept.*
d *de incarn. Verb.*
e *in Pſal. 118.*
f *lib. 1. c. 13.*
g *lib. 4. c. 4. de fid. Orthod.*
h *lib. 4. cont. gent. c. 42.*
i *Tab. 1.*
k *Tab. 5.*
l
m *lib. 4. cont. Marcion.*
n *Tab. 1.*
o *Tab. 10.*
p *Tab. 7.*
q *Tab. 3.*
r *Tab. 2.*

tuę conuenire assertioni demonstrauerimus, si *illud* huic nostræ. Videamus itaq; tua. Positio videtur esse: *In Anglia neq; fides est, neq; pietas, neq; Ecclesia.* Hanc vt probes *varia* adducis & eadem *generalia*, in specie autem illa quæ *ex oratione Eadgari regis* a te relata. s Quorsum enim nisi huc hæc tua? *Quid ibi* (in Anglia) *prater pontificis vestes pontificium?* t Quorsum? *Haberbat Parisijs qui una cum vestibus ipsum tibi pontificem, ipsum Ecclesia lumen, ipsam Ecclesiam proponerent.* Quorsum? u *Si regnum* (Anglia) *nunc Eadgaros, si Cantuaria Dunstanos dederit, non erit vt Anglia fidem a Gehenna, non vt a Casaubono subsidium petat. Romam, Romam ibit quisquis de fide dubitat, a Pontifice flagit abit auxiliũ, a Pontifice ecclesiasticis innodatus censuris solui ab eodẽ, Ecclesia privilegia firmari petet.* Quorsũ quę ibidẽ Varia? *De facto* pleraq; loquentia: quædam *ad Theologos* propriè pertinentia. Illa negligamus. Theologis hæc relinquamus. Nec dubito quin habiturus qui inquiret: *An hic, an Romæ Ecclesia: An de fide consulenda Roma; An hic, vel in monasterijs vestris Dominica portio: An Roma sit mittere normam fidei; indicare de fide.* Facti quæ sunt vel ipsa confutat orbi nota experientia. Nullum *Episcopis* relictum iudicium? nulla cura examinandi mores sacerdotum, nulla eosdem delinquentes coërcendi? Quam optarem hic esses. Audires, de clero ne quid dicã, *Episcoporum curias* peculiares etiamnum vt olim adulterio, *de matrimonio*, scortatione, *de vltimis voluntatibus*, de Decimis controuersijs resonantes: x audires *Episcopos* easdem *sententia* sua componentes, decidentes: ob non sanctificatum sabbathum videres *Episcoporum censura* mulctatos multos: In *Hellata*, quam vocant, *Camera*, y *post Parliamentum secunda* in regno, inter reliquos *regni proceres* monstrarem tibi, quos docentes diebus singulis dominicis & festis ex cathedra audiui-

s *Tab.* 12.
t *in præfat. ad lect.*
u *in præfat. Tab.* 12.
x *Vid. Smyth. de Rep. Angl. lib.* 3. *c.* 9.
y *Smyth. de Rep. Angl. d. lib.* 3 *c.* x

audiuimus, iam fastis diebus in dicta curia relucentes Georgium, *Archiepiscopum Cantuariensem*, Ioannem, *Episcopum Londinensem*, de rebus grauissimis verba facientes; malefactores, seditiosos, periuros, verbis corripientes, sententia condemnantes, breuiter, maiestatem regni repræsentãtes cum alijs. Experireris etiamnũ hodie *in Anglia Episcopis iurisdictionem esse, esse coercendi potestatem.* Missis & hisce, in præcipuũ & speciale tuum inquiramus. Quod *superioritatis in rege denegatio, in clero exemptionis a potestate regia, & eiusdem in regem iurisdictionis affirmatio.* Quod ex iam ex te relatis manifestissimum: vt demonstratione vlteriore opus non sit. *Anglia Eadgaros non habet? Nec Cantuaria Dunstanos?* Vnde probas? *Ex Eadgaro rege: Eadgaro, rege pio: Eadgaro fideli Ecclesiæ & filio deuoto.* At, quid, si *ex eodem Eadgaro* probauero, *Serenissimum nostrum fidei defensorem Iacobum non plus sibi in hoc negotio, de quo disceptatio, quam arrogasse regem Eadgarum? Nihil in rege nostro serenissimo præterquam redituum Eadgarum?* Lubenter hac vtimur methodo. Quia historia edocti: a *ex terra illa ex qua aduersarius oriundus, contra eundem inquirenda auxilia* b quia patrum exemplo eruditi, *optimum probandi modum didicimus ex verbis contradicens quibus pro se vtitur, qui fit* c quia *te* idem factitasse meminimus. d *In vno* itaq; tecum manebo *Eadgaro*, quoniam eius exemplum (cognosce tua verba) a te proponitur. Possemus *superioritatis* materiam, possemus & *exemptionis clericalis* hic iam, at nolumus retractare hanc, iamdudum actitatam et ferè explosam, nec reassumere illam inuictis argumentis a nostratibus pridem euictam. Sufficiat *Eadgari* oratio. Et ea quidem *pia*, quia a rege profecta pio. Haud igitur scripturę contraria, imò et eidem si videatur contraria, *benignissimè* et ad sensum scripturæ reducenda, ex eadem huius in-

a *Quint. Curt.*
b *Fusè Tab. 11.*
c *Tab. 12.*

terpretatio desumenda. Sic *iura* volunt. e Sic *tu* ipse exemplo *Baronij* f Recte. Quia *nemo malus præsumitur*. Quia alibi quoq; a nobis monstratum, *contra iura facta pro non factis haberi de iure*. g Quia tu ipse hanc legem, vt superius ostensum posuisti. Quia ipse *Baronius*. *Quid*, inquit, *tam magnum, tam nouum & inusitatum, imò quid tam verum & frequens, quam si dixerimus, Iosephum esse hallucinatum? Quid inquam, tam magnum? cum certè, etsi nulla subesset ratio cum erroris arguendi, Euangelistæ quidem auctoritas satis superq; sit ad quantumlibet testatam & obsignatam probatamq; eius opinionem infringendam.* Esto igitur, et demus nos *Eadgarum* Regem superioritatem quoad clerum deposuisse, in laicos tantùm eandem sibi reseruasse, num tamen exinde concludes ad rectum? ad iustum? Num rata quæ fecit, quia fecit? impediunt conclusionem talem iura, quia factum tale improbant iura. Iure enim humano *certæ personæ fidei commissa, eiusdemq; industria specialiter electa, si sine consensu committentis eligentisve transferri nequeunt*, i quid futurum censebimus iure diuino? k Annon enim verissimum *neminem nisi rei suæ Dominum esse & arbitratorem? nec inferioris, ne dicam superioris ius per alium posse vel debere deteriorari*? l Vt igitur priuatio hic? Cum rex *Vicarius* saltem *Dei*, m omnium consensu. Quidquod resignatio omnino fieri nequit, nisi superiori, Rex autem cum neminem omnino habeat superiorem, cui, quæso, resignabit? Aut num dices *inter Deum & principem* dari medium? Scio *affirmatiue* statuant multi. Sic enim *Bellarminus*, n sic *Iohan. Philipp. Maynardus*, o sic *Gregorius Seruantius*, p sic *Iohan. Filoteus*, q sic *Mariana*, r sic *Stephanus Iunius Bru-*

e *l. in ambig. ff. LL.*
f *Tab. 1.*
g *Pro liber. Angl.*
h *Appar. 82.*
i *Tot. tit. ff. Inst. mandat.*
k *3. Reg. 13.*
l *l. non debet ff. R. l.*
m *Sixte partid. del Alphons. p. 2. tit. 1. l. 5.*
n *Nell. Rispost. all opposit. di. Fra Paulo Seruita.*
o *De Primil. Eccles. lib. 1. art. 5.*
p *Nell difes. dell protesta & immun. Eccles. contr. le otto propos. di vn Dottor. incogn. nell rispost. all. prim. proposit.*
q *Nella risposta alla lettera di vn Theologo incognito.*
r *De Rege & Regis Institut. lib. 1. c. 4. & 6. & 8.*

tus,

tus, a sic *Zabarella*, b sic *Nauarrus*, c sic *Cardinalis Turrecremata*, d sic *Albericus*, e sic *Petrus a Monte*, f sic *Felinus*, g sic alij infiniti. Sine ratione tamen omnes. Quod vel exemplo manifestum populi Israel. Hic enim teste Spiritu sancto, h petit a Deo quem dat Deus regem : non constituit. Quia non potuit. Si enim potuisset, quid opus precatione ? quid Samuelis intercessione ? *Frustra precibus imploratur quod omni iure conceditur*, inquit *Curtius Iunior*. i Aut num petere regem & constituere regem vnum & idem ? Nemo dixerit : cum *petere* aliquid *præsupponat defectum in eo qui petit : Constituere econtra significet abundantiam in eo a quo, defectum in eo qui*. Quod ipsa verborum per se loquitur natura. Quo & respiciens historicus k *Vespasianus*, inquit, *ad imperium natus*. Et *Nigidius Figulus Senator ad Cæsarem de Octauiano* recenter nato : *Dominum nobis genuisti*. l Et verissime *Spiritus Sanctus* de omnibus : m *Vbi*, ait, *sunt indices tui de quibus dicebas : Da mihi regem. Et dedi tibi regem in ira mea*. Vicarius quoq; qualis omnis Rex Dei: *Vicarios de Dios son los reyes cada vno en su reyno*, fatetur optime *Alphonsus Rex* ille *Sapiens* : n vt Constitui poterit ab inferiore, & quidem in loco summi? Si par in parem non habet, infimus vt potestatem habere poterit in omnium summum & supremum ? Quam quoq; absurdum, *fundum*, affirmare, sibi constituere *colonum*: hominem *filium Altissimi*, o *Deum*, p *vnctum Domini*, q *seruum Domini*, r *Angelum Dei*, s *lumen Israelis*, t *virum secundum cor & voluntatem Domini*, u *sanctissimum*, x *optimum maximum*, y *Diuum &*

a *Vindic. cont. Tyrann. q. 3.*
b *C. qua Ecc l e n. 16. Vers. Si de Iurisd. princ. de Constitut.*
c *in relect. c. nouit. n. 147. v ſ). Sex inter, de iudic.*
d *in c. duo sunt n. 2. vers. Secundo spiritualis 96. distinct.*
e *in l. cunct. pop. n. 16. C. sum. Trin. & fid. Cathol.*
f *de prim. Pap. & maiest. imperat. sub rub. de imper. maiest. orig. n. 16.*
g *C. non licet n. 13. de præscrip.*
h *1. Sam. 8.*
i *Cons. 76. n. 2. p. 2.*
k *Dio. lib. 66.*
l *Dio. lib. 45.*
m *Hos. 13.*
n *Las siete partid. del Sabio Rey Don Alfonso part. 2. tit. 1. leg. 5.*

o *2. Reg. 7.* p *Psal. 82.* q *2. Chron. 9.* r *2. Chron. 6.* s *2. Samuel. 14.* t *2. Sam. 21.* u *1. Sam. 13.* x *l. 87. §. fin. leg. 2.* y *l. in honor. ff. vacat mun.*

diuinum, a *parentem generis humani*, b *Semideum*, c *sedentem in throno Dei*. d Vel *Ethnicus*, præter relata, testabitur *Callimachus*. e Nisi igitur monstraueris gradum supra supremum, nisi *Altissimo* altiorem, indubitatum & inconcussum futurum superius a nobis positum, nempe: non potuisse priuatiuam ab Eadgaro Rege fieri superioritatis clero concessionem. Hac itaq; iuris omnis ratione, cum, quæ a Rege facta, sint nulla, aut vt scripturę contraria rejicienda, aut quo minus lędatur pietas regia, interpretatio alia adhibenda. Illa igitur quæ a nobis posita. Sed ne videamur ex reiectione totius ansam tibi præbere firmitatem fundamentorum a te adductorum vltra iustum extollendi, neve veritatis vis ex illis ipsis elucescens verbis obfuscetur, *verba Regis pij* examinemus. Non ex *membranis Cottonianis*: sed ex *Personij*, ex a te positis. Quia satis firma per se stant contra te: quia *impietate omni absoluunt Regem, clerum, regnum*. Scis, *causam modificare effectum*. in illis maxime iuris quæ sunt et iustitiæ. in hisce enim necessum interueniat *analogia*. in illo indubitata veritas: testantibus *Socrate apud Laertium*, f et in epistolis *Seneca* g Hoc, præter expressum iuris textum, h vel ex ipsa apparet *iustitiæ* natura et essentia. Annon enim *inter duo* versatur iustitia? versatur iustum? Haud negabis, *iure* maximè et *Cicerone* dicentibus. Hunc taceamus. Referamus illud. Præcepta iuris, iuris formam et essentiam et naturam continentia, numnon inter duo? num non respectu alterius? *Honestè viuere*: personam respicit: *alterum non lædere*, rem respicit: *Suum cuiq; tribuere*: respicit actionem. i Et quidem omne hoc ex sua natura. Nec hoc negare poteris, nisi negare volueris veritatem definitionis iustitiæ, quæ: *iustitia est constans & perpetua voluntas, ius suum cuiq; tribuendi*. k Supersedemus referre *distributionem præmiorum & pœnarum* subsistere in

a *l.7.C.SS. Eccles.*
b *Symmach.lib. 10.ep.36.*
c *Sereniss.Iacob. Basilic.*
d *1.Chron.29.*
e *Hymn. in Iouem.*
f *de vit. Philos.*
g *Epist. 76.*
h *Continet 3.§. 2. ff. quod met. caus.*
i *Cic.1.& 2. Offic.*
k *§.Iustitia.*

analogia. l Nec *compenſationis* vrgebimur naturam. Nec enim *te Theologum* latebit, ipſum *Apoſtolum* hoc vſum modo analogico, qui ſic ad Corinthios: m *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* Noueris et hoc pietatis: *Miror ſum cunctis miſerationibus tuis Domine.* n Alterum igitur iudicandum ex altero: ex terminis et natura vnius, termini inueſtigandi et natura alterius; ijſdemq; planè includenda et circumſcribenda limitibus. Vel *te* vide *Retaliantem.* Niſi igitur huic Regis pijſſimi actioni iuſtitiam abeſſe velis, contra expreſſam mentem et verba manifeſtiſſima eiuſdem; pietatem ipſam niſi violare, fateris omninò neceſſum; *id omne eſſe in facto pij regis offerentis; quod eſt in cauſa regi offerenti.* Apertius: *omne id eſſe in reſtitutione, quod fuit in collatione:* omne id redire ad Dominum, antea quod fuerat eiuſdem. Si et *principum fauores iure ampliandi* ſi ſubdito, quid dicemus futurum ſi princeps quid Deo? Vel *curiam videas Romanam* in cauſa eiuſdem contra o *Iohannem Angliæ Regem*, et formulam ab eadem reſignationis eidem præſcriptam. p Hic autem *Eadgarus* quid ſibi *a Deo* collatum ait? *Vitam & regnum: poſſeſſionem terræ & conſeruationem ſui.* Adſint regis a te relata verba: *Quoniam magnificauit miſericordiam ſuam Dominus facere nobiſcum, dignum eſt, o Patres Reuerendiſſ. dignis reſpondeamus operibus. Neq; enim in gladio noſtro poſſidemus terram, & brachium noſtrum non ſeruauit nos, ſed dextra eius & brachiũ ſanctũ eius, quoniam cõplacuit illi in nobis. Iuſtũ proinde eſt, vt qui omnia ſubiecit ſub pedibus noſtris ſubijciamus illi & nos & animas noſtras, & vthi quos nobis ſubdidit, eius ſubdãtur legibus nõ ſegniter elaboremus.* En *regnum* eſt. Quod et fatentur hiſtoriæ. Ex manuſcripto quod *Rich. Booth* ciuis Lõd. rarũ pietatis & humanitatis exẽplũ nobis cõmodauit, lubet trãſcribere. Et eo quidẽ antiquiſſimo: vel ſtylo firmante. Sic autem habet: q *And*q *after*

l *Tot. tit. ff. de pœn. & Cic. 3. Offic.*
m *1. Cor. 9. v. 11*
n *Gen. 32.*
o *Matth. Paris*
p *Tab. 12.*
q *f. 112.*

after tis Edwin regned Edgar his sone, a man that myche loued God & pees & holy Chirch also, & was aworthi Lord, & bold, & mighty & mainteined well tis londe in peece. And tis Edgar was Lord & King abone all te Kings of Scotland & of Wales fro te time tat Arthur was gone, & neuer was sithen King of his power. Si totam hanc terram, num non simul & clericos? num in hisce *Deus* Eadgaro facere misericordiam dignatus non est? inter innumera Dei beneficia hi non numerabuntur? Haud te, confido, contradicturum: maximè cum te non lateat *appellatione terræ Iuda, Samariæ, venire & sacerdotes, & sacerdotes contineri sub nomine populi Israel, populi Dei.* a Clerici autem & sacerdotes cum exempti non sint collatione regia Deo facta, vt exempti esse poterint a restitutione regis ei facta a quo eosdem sibi habebat subiectos? & quidem *Iustitia* interueniente & *pietate*? Certe, vt nulla constituitur differentia inter clericos & laicos in collatione, sic nec vlla constituetur differentia inter eosdem in restitutione. Quod omne quam elegantissime ex ipsis clarum verbis, quæ apertissimè respiciunt ad duo illa superius relata, *terræ* nimirum *possessionem & sui ipsius conseruationem.* Et ob hanc *iustum & dignum subijciamus nos & animas nostras*: ob illam, *iustum & dignum vt hi quos nobis subdidit, eius (Dei) subdantur legibus.* Et adhuc, *mi Rosseyde*, non vides, *clericos Regi Eadgaro subiectos* ipsissimis regis verbis probari? Quod enim muneris regij in subditos ratione possessionis & subiectionis terræ a Deo Eadgaro factæ, datæ? *Vt subdantur legibus subdentis curare.* Si igitur clerum exemptum vis legibus huius regis, exemptum simul eundem necessum velis legibus diuinis. Quod *Theologus* caue dixeris. Tantum igitur abest, clerici hac regis pijssimi oratione desierint esse subditi, vt firmiter ex eadem deducatur, euincatur, eos, priuilegio examinandi

a 1. *Reg.* 12. & 13. 15. 16. 19. 25 2. *Reg.* 2. 5. 6. 12. 3. *Reg.* 4. 6.

nandi mores clericorum non obstante, nihilominus esse & semper remansisse & adhuc hodie esse subditos: regem vt olim sic hodie, vel ratione dicti priuilegij, fuisse & reuera esse cleri dominum, cleri superiorem, quoad leges quoq; diuinas. *Iustum* enim inquit Rex, *vt qui omnia subiecit pedibus nostris, vt hi quos nobis subdidit eius subdantur legibus, non segniter elaboremus.* Hisce ita se habentibus, miramur distinctionem seu *differentiam inter clericum & laicum* cur vrgeas instanter. *Quid*, inquis, a *ille magnificus ille pacificus Rex Eadgarus de Iure regni, de Iure Ecclesiæ? nullas ne Episcopis Rex intuitu Clericorum assignauit partes? Vidimus Eadgarum Regem cleri mores vt ad Ecclesiasticas formarentur regulas, sacerdotum reseruasse Iudicio, non sibi eorum correctionem, vti laicorum arrogasse.* Causam enim tuam Iuuare vt poterit? *Diuisio* enim, numnon, vt natura præsupponit aliud quod diuidatur, sic & *naturam retinet illius ex quo?* Nihil diuisibile nisi in sua principia, nihilq; extra propriæ rationem essentiæ. Exemplis res futura clarior. Adsit commune. *Homo & equus*, discrepant ratione, at conueniunt quo animal. Vis Iuridicum? Opponitur *Ius singulare, Iuri communi*: alterutrum autem horum num exinde Ius esse definit, aut naturam & proprietatem Iuris amittit? Magis vicinum. Alius est Senator Romanus, alius eques, alius de plebe homo, etiam quo ad priuilegia. Quod ex historia apertum. Num tamen hi omnes non conueniunt in hoc, quod vnusquisq; horum sit ciuis Romanus? omnes subiecti legibus Romanis? Hic autem quid quod diuiditur? quod totum hic? *Regnum, subditi. Vt hi*, inquit Rex, *quos nobis subdidit Dei subdantur legibus, iustum, non segniter elaboremus.* Quid quod & partes idem firment. Partitione igitur & diuisione hac non obstante, clerici erunt subditi, erunt subiecti. Quia in toto continentur. Aut si non, *pius*

a *Tab. 12.*

Rex

Rex tale quid cur de clericis? Testatur Rex *exemptum clericum, non qua clericus, sed qua priuilegiatus* (& ita semper subditus) et ita quo ad illum tantum cuius respectu talis, non autem respectu superioris. Dices non rerum esse hominumve, sed Iurium, officiorum, munium distinctionem. Hoc videris velle. Quia expresse: a *Quid ais, ille magnificus, ille pacificus Rex Eadgarus de Iure regni, de iure Ecclesiæ?* Et: *Ipsam orationem æquo iudicij libramine expendamus, & qua Regis, qua Episcoporum spectat officium, suis quáq; partem lancibus assignemus.* Et: *Recte hactenus, recte, quod regis Christiani erga subditos, quod iusti legislatoris erga laicos, quod incorrupti iudicis erga reos sit officium est executus. Sed nullumne regis officium erga Clericos, nullane eum Ecclesiarum tangit sollicitudo? Quis non hic æquam iudicii libram adhibens, diuersa regis, diuersa Episcoporum munia perpendit?* Et eam quidem respectiuam, inter Regem & Episcopos. Patet ex iam positis. Et talem quæ de vno quid affirmato, simul id negetur de altero. Quod firmare videntur quæ habes de gladio Constantini et Petri. Sed si oppositio talis vt vtrumq; simul esse poterit in Pontifice? vt simul non esse poterit in rege? cur non in Eadgaro? Opponuntur ab hoc siquidem Clerici, et Laici. Sic enim habet: *Et mea quidem interest, laicos eum æquitatis iure tractare, inter virum & proximum suum iustum iudicium facere, punire sacrilegos, rebelles comprimere, eripere inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem a diripientibus eum. Sed & mea sollicitudinis est, Ecclesiarum ministris, gregibus Monachorum, choris Virginum, & necessaria eorum procurare, & saluti & quieti vel paci consulere. De quorum omnium moribus ad vos spectat examen.* En clerici & laici, seu rex et Episcopi opponuntur. At in quo? *In examine morum clericorum.* Ostendunt hæc verba in specie. Conueniant itaq;

a d. Tab. 12.

necessum

necessum in reliquo omni in quo oppositi non sunt. Concurret igitur Rex Episcopo in Iurisdictione quoad Clericos in omni casu non excepto: et vel ita in clerum habiturus Iurisdictionem, clero superior: superior et Episcopo. Hoc enim, vt demonstratum ism, firmo, erit exemptus clericus non qua clericus, et ita nec ipse *Episcopus*, qui *clerici appellatione continetur*. Solus itaq; tandem omnibus superior Rex: Regi omnis cum Episcopo subiectus clerus. Quæ quoq; conclusio, aut quæ concludendi ratio? Episcopus habet iurisdictionem in clerum: ad Episcopum spectat examen morum cleri. Ergo Episcopus cum clero exemptus est superioritate Regis. *Exemptum* enim *esse* num non *versatur inter regem & Episcopum* seu clerum? *Habere examen morum cleri inter Episcopum & clerum?* Non datur saltus per tria. Imò ad superius ab inferiore vt firma conclusio? In illis maximè quæ iuris? *Ius enim natura in inferius* agit, nunquam in superius. Res ipsa tam clara vt deductione opus sit nulla. *Legis* enim *virtus imperare, punire, vetare, permittere.* a Probandum itaq; esset exemptum Episcopum. Sed largiamur clerum exemptum qua clerum, largiamur clerum oppositum laico, regi Episcopum, et quidem ita vt in altero quod positum, negetur in altero, num tamen exinde ad negationem superioritatis in Principe, positionem eiusdem in clero, in Episcopo? Qui enim termini oppositionis, quæ res, quid in quo opponuntur? *Iudicare.* Clarum ex relatis. Iudicare autem et superiorem esse num non differunt? *Imperatorius actus est iudicare*, vt testatur historicus, b inferiori cum rege et imperante commune. Ast, quid superioritas? *Ipsum esse principis, ipsa eiusdem forma*: quæ in principis inheret personæ vt nullo modo in alium transferri queat. c Conclusio itaq; tua & illatio vt stare poterit? Inconcinna planè & omninò impertinens: cum

a *l. 7. ff. LL.*

b *Herod. lib 1.*

c *Smith. de Rep. Angl. lib. 2. c. 3.*

in quæstione, *non quid clerus, sed quo iure clerus habeat quod habet.* Demonstratum sic, officiorum & munium distinctionem causam tuam neutiquam iuuare, sed econtra firmissime probare clerum subditum, Regem nostrum pium. Quod vtrumq; ex ipsis *Eadgari* manifestum verbis. Postquam enim dixit suarum esse partium, muneris sui, quos Deus subdidit subdantur legibus subdentis, vel eius qui subdidit; postquam diuisit subditos in laicos & clericos, ad speciem progreditur, & quod officium suum circa clerum ostendit. *Sed & mea*, inquit, *sollicitudinis est, Ecclesiarum ministris, gregibus Monachorum, choris Virginum, & necessaria eorum procurare, & saluti & quieti vel paci consulere.* Notasti *mea* maiusculis, quia eandem pro te putas particulam. Esto. Sed quid si pro nobis & sentẽtia nostra maiusculis notauerimus SALVTI? numnon exinde probauerimus, in specie hic *curam religionis & morum Eadgaro & Iacobo nostro* reseruatam? Miraberis fortè, ita quod verbum *Salutis* interpretemur. Desines, si primum orationis benè consideraueris paragraphum. Habet enim: *Iustum elaboret fognitor subditi subdantur legibus diuinis.* Iustum inquam. Quod tu benè ais esse *ex officio*, qui: *Nullumne*, inquis, *Regis officium erga Clericos, nullane enim Ecclesiarum tangit sollicitudo?* Affirmas, verba iam relata subijciendo. Nisi & pijssimum regem velimus oblitum sui, asseramus oportet, officij eius quo ad hunc punctum haberi, aut in iam citato paragrapho, aut in sequenti, qui: *De quorum omnium moribus ad vos*, (vt tu legis) *spectat examen*: aut nullibi. Si in hoc, rectè cum *Casaubo, & membranis Cottonis* dixerimus: *De quorum omnium moribus ad Nos spectat examen.* Sed displiceat hoc. In illo igitur erit quem pro nobis ci, taujmus, & quidem in verbo: *Saluti.* Quia in necessaria verum prouisione, in pacis ac quietis procuratione ta-

le

le quid propriè non est. In hac enim possibile natura concludamus esse elaborandum illi cuius prouidere subditi, legibus subdantur diuinis? Deus *bello* quandoq; *augeat vt Ecclesiam* suam vtitur. Captiuus *Petrus* cum familia conuertit custodem; *Roma* idem in multis *Paulus in vinculis*. Sic sanè. Pressa religio vt flamma circa id quo premitur diffunditur. Tua, ob iam dicta, non poterit stare interpretatio, qui *salutis* verbum exponis & interpretaris *salutem politicam, diuitias, prouentus*, & huiusmodi externa. Sed esto, sit regis cura externa circa bona, significet *Salutis* vocabulum *sustentationem, pacem, quietem*, num tamen exinde quod vis obtinebis? num regem a sollicitudine cultus diuini excludes, ab eademve remouebis? Ratio hanc posuit legem necessariam: *Dato aliquo & concesso, simul cum eo data sunt & concessa, sine quibus datum quod est & concessum esse aut expediri nequit.* a Et *Philosophorum* habent scholæ: *Eius est disponere ad formam, cuius est dare formam.* Et: *Essentialiter ordinatarum causarum vltima non agunt, nisi cooperentur priores & antecedentes.* Vis auctoritatem? Audias quid *Azpilcueta*: b *Eius est iudicare de mediis cuius est iudicare de fine.* Quid *Aquinas* c relatus a *Bellarmino*: *Omnis persona, vel ars vel virtus ad quam pertinet finis, habet disponere de his quæ sunt ad finem.* Quid *Bellarminus*. *Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta & sibi sufficiens in ordine ad suum finem: Tales sunt enim omnes respubl. bene constitutæ. Ergo debet habere omnem potestatem necessariam ad finem suum consequendum.* Ad salutem autem politicam ciuilemve consequendam promouendam, tutandam, quo maxime opus medio? Ethnicorum, si vellemus enumerare exempla multa, qui, felicitatem vt haberent sibi factam, *ad sacrificia sua, ritus, cæremonias, delubra*: de quo consulas *Valerium Maximum*, e *Duretem Phrygium*. f Ast, quid opus multis, cum rem decidat omnem

a *l. vlt. ff. off. ei cui mand. iurisd.*

b *tom. 2. ad c. nouit. de Iudic. notab. 3.*

c *2. 2. q. 40. art. 2 ad tert. c. 14. de pot. pontif. in tempor.*

d *c. 17. de pot. pont.*

e *lib. 1.*

f *de Bell. Troiam.*

illud *Christi*: *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius; & cætera adijcientur vobis.* Nec opus pluribus hoc firmemus, ipse *Eadgarus Rex pijssimus* cum idem quod nos apertè fateatur: nempe, in ijs quæ ita sese habent vt alterum sine altero esse nequeat, vt vno sublato tollatur simul & alterũ non tam proximum, sed proximius quod esti dari conferrive. Postquam enim officium clericorum enumerauit, reprehendendo primo illorum mores corruptos: & admonendo Episcopos curarent ne quid detrimenti pietas patiatur, ne quid religio: *pœnalem subijcit clausulam, superioritatis & religionis curæ in rege testem, subiectionis in clero.* Hoc enim si non, elusoria admonitio. Iuris siquidem: *Extra prouinciam ius dicenti impune non paretur.* Et scripturæ: *Quis tu alienum seruum qui iudicas?* Clausula illa est quod minitetur secus quam dixerat facientibus defensionis denegationem, datorum reuocationem. Verba sunt: *Agite quæso sollicite; ne pœniteat nos fecisse quod facimus, dedisse quod dedimus, si viderimus illud non in Dei obsequium, sed in pessimorum luxuriam impunita libertate consumi.* Innuit, en, pœna ob peccatum, & ea quidem specificata, vitæ nimirum subsidiorum subtractione, contrarium pœnæ eidemq; oppositum esse in contrario causam sustentationis & defensionis. Rationem in auxilium arcessere supersedemus. Vtrumq; siquidem clarissimis verbis hic a Rege ponitur. Vides & quam infirmum sit *tuum* quo *pro te* veteris & clero tuo ex verbi *monendi* significatione argumentum. Sic tu: a *O præclaram Regis orationem! o aureis literis dignas sententias! o rediuiuum Constantini in Eadgaro animum! Quis hæc legens non statim intelligit, Eadgarum regem boni Regis, boni principis functum officio? qui cum Constantini gladium sibi meritissimo vindicaret, suum tamen Petro reliquit, suum Ecclesiæ non abstulit. Tantum Episcopos.*

a *d. Tab. 12.*

copos monuit ne sinerent putrida membra inualescere Petri truncanda gladio. Non enim intra meræ admonitionis, vt affirmas, consistit & continetur terminos. Quia *pœnam*, vt dictum & probatum *habet adnexam*. Et quid si pœna adiecta esset nulla, si clausulæ apposita omninò omissa? Nihilominus concluderemus: *Monet: Ergo superiorijs quos monet*: Rationem tu ipse nobis subministras. Quia asseris, omnia regis circa clerum facta *ex officio*. Quia: *functus est*, ais, *hac in causa, boni Regis officio Eadgarus*: quia *suum Rex Episcoporumq; partitur officium*. quia: *Recte hactenus*, dicis, *recte, quod Regis Christiani erga subditos, quod iusti legislatoris erga laicos, quod incorrupti iudicis erga reos sit officium, est executus. Sed nullumne Regis officium erga clericos, nullane eum Ecclesiarum tangit sollicitudo?* Si *ex officio*, daturus est rex rationem suo superiori ob id omissum neglectumve: Si hoc, superioritatem. *Bellarmini* agnosce argumentum, a sic *pro pontificis in reges potestate* concludens. *Si pontifex*, inquit, *redditurus est Deo rationem pro regiminibus hominum, certe dirigere debet ea regimina, & si forte deuiant corrigere atq; in viam reducere, Quomodo autem potest dirigere & corrigere humana regimina, si nullum in ea habet imperium?* Viden'vim argumenti? Caue contra dixeris, *Ecclesia filius eiusdem Cardinali*: b caue *Fitz Simoni* reponas *Romanomachiam*. c Progrederis; *officium Regis est defendere*. Sic enim tu de Eadgaro Rege: d *Nullane igitur hic Regis intercessit auctoritas? intercessit sane: sed vt Adiutoris, vt Defensoris. Prosequuntur eadem Oswaldi acta: Habebat autem Regem Adgarum hac in re fidelem adiutorem & egregium Defensorem.* Et mox de eodem: *Nullo igitur modo vero est simile, eum Regem, qui sua priuilegia a Romano voluit firmari Pontifice vllum in Ecclesiastica iura imperium vsurpasse? Non igitur Concilia indixit,*

a c.2. de pot. pontif. in tempor.

b præfat. ad lect.

c qui Britannemach.

d Tab. 12.

nisi vt olim Constantinus ex sententia sacerdotum apud vrbem Nicæam Episcopale Concilium conuocauit: non in Cleri mores sibi auctoritatem arrogauit, sed vt ij corrigerentur, vt concilia legitime celebrarentur, Adiutor & Defensor fuit. Et ibidem de *Valentiniano*, de *Carolo magno*, reliquisq; imperatoribus. Hæc quis negaret? Ex officio siquidem Regis verissimum quod ille: *Dispensatoris fidelitas* (qui dispensator Rex & quidem omnis.) *ostenditur circa bona sibi commissa in tribus, vt scilicet non dissipet, non defraudet, & vt multiplicet.* Verba sunt *Hippolit. Bonacos.* a Rectè. Quia *Vicarius potestate sibi tradita vti debet ex mente tradentis.* Sic *Azpilcueta*, b Si defendere & iuuare: & curare pij sint omnes qui defendendi. Et quidem eo ipso iure quo defendere. Hoc enim cum consequens tantum, velit necessum natura id quod supra monstrauimus necessario antecedens. Opus & ad defensionem milite. Quia ipse solus non sufficeturus Rex, nec forte profuerit *Dauid* ipse cum exercitu profisicatur in prælium. c Militem igitur oportet habeat, & illum quidem pium. Fatentur vel *Ethnici*, qui *sacrificiis & expiationibus vsi.* Exempla non addimus. Quia notissima. Militem oportet habeat fidelem. Experientia ipsa testante & loquente. d At, *non fidelis Deo, num is fidelis hominibus?* Recte negamus cum *Durando.* e Frustra igitur patet tua erit particulæ *Vos* vindicatio: imbellis verbi *Curassetis* majusculis notatio. Qui sic ex Eadgaro: f *Pace vestra loquor, Reuerendi Patres, si ista solerti scrutinio curassetis, non tam horrenda & abominanda ad aures nostras de Clericis peruenissent.* Esto enim, dicat textus *Vos*, dicat *Curassetis*: sint corruptæ *Cottonis* membranæ, sint fictæ, sint falsæ: habeant verba vt vis, *De quorum omnium moribus ad Vos spectat examen: quid tamen* exinde? Committitur clericis examen. Quibus? *Proauus quibus regnum decimauit:*

a *de seru. & fam. col. 4. in fin. vers. Iohannes Faber.*

b *tom. 1. tract. de redit. Eccles. in c. quoniam quicquid q. 1. vers. Quadragesimo mouco. n. 4.*

c *2. Reg. 18.*

d *vid. Lipsi in Politic.*

e *de mod. gen. concil. rubr. 81. n. 2.*

f *vid. Tab. 12.*

mauit: quos vt ditaret auus thesauris suis non pepercit: pater & frater quos donariis cumularunt: possessiones quibus dedit pater. a Ipsum audiamus loquentem Re- a d. Tab. 32.
gem: *Sis patrimonia Regum, Eleemosyna pauperum, imo quod magis est illius pretiosi sanguinis pretium profligatur. Ad hoc ergo exhauserūt patres nostri thesauros suos? ad hoc fiscus regius detractis reditibus multis, elargitus est? ad hoc ecclesiis Christi agros & possessiones Regalis munificentia contulit? vt deliciis clericorum meretrices ornentur, luxuriosa conuiuia praparentur, canes ac aues, & talia ludicra comparentur?* Et statim: *Moueat vos antecessorum nostrorum mira deuotio, quorum Eleemosynis Vesania clericalis abutitur. Proauus meus Ethelwulphus (vt scitis) omnem terram suam Ecclesiis & Monasteriis dedimauit. Sancta memoria atauus meus Alfredus vt Ecclesiam ditaret, non thesauris suis, non patrimonio, non sumptibus, non reditibus parcendum putauit. Auus meus senior Edwardus quanta contulerit Ecclesiis Paternitatem vestram non latet. Pater meus & frater, quibus donariis Christo altaria cumulauerint, meminisse vos decet.* Et paucis interiectis: *Tu mihi pater Dunstane, tu mihi de constituendis Monasteriis, de Ecclesiis aedificandis consilium salubre dedisti. Tu mihi adiutor in omnibus & cooperator extitisti. Te quasi Pastorem, Patrem & Episcopum animae meae, morumq; meorum custodem elegi. Quando tibi non parui? Quos vnquam thesauros tuis consiliis praetuli? Quas possessiones te praecipiente non spreui? Si quid pauperibus erogandum existimabas, praesto fui. Si quid conferendum Ecclesiis iudicabas, non distuli, si quid Monachis Clericisve deesse querebaris, suppleui. Aeternam dicebas Eleemosynam esse, nec aliam fructuosiorem, quam a quo Monasteriis Ecclesiisve conferuntur, quo Dei serui sustententur, & quod superest pauperibus erogetur. O pretiosam Eleemosynam & dignum animae pretium!*

tium! Qualitas en tanta certè addita Verbo *Vos Vobisve*, vt vel ex eo solo ita qualificato *subiectio* eorundem plus quam apertè eluceſcat. Quis enim in non ſubditum, & tamen in regno viuentem, regis defenſione & cura ſollicita indigentem, tanta & tam maxima erogaret? Regum patrimonia: theſauros regios: regios ſcu reditus fiſci. Des quæſo regnum, des nationem, des populum, tale quid vbi factum. Imo ſi factum demonſtres factum Iure. Multa licet tribuamus poteſtati regiæ, *eandemq; ab omni omnino qualiter eunq; ſubditorum eximamus poteſtate*, illis quæ vel *Brutus*, vel *Bellarminus*, vel *Philotenus*, vel *alii* quicunq; de limitata & conditionata principum diſputent poteſtate, neutiquam attentis: te tamen rogaremus oſtenderes tale quid a rege factum *Iure diuino firmum* eſſe & ratum. *Aquinas*, a & eum rectè ſequentes alij ſiquidem: *Non poteſt princeps deponere regnum, quod natura ſibi in vtilitatem multorum habet commiſſum*. b Generaliter loquuntur, & obiectionem quam quis forſan obijcere poſſet, euertunt. Eſto enim, non eſſe *depoſitionem* totius, *imminutionem* tamen eius eſſe nemo ſanæ mentis negauerit. Hic maximè, vbi pietas ipſa ait eſſe ea patrimonia regum, theſauros regum, reditus fiſci. Et quæſtionis eſt: *An imperator & ita omnis alius princeps aut rex, qua imperii ſunt valeat alienare*. Et negatiua reſponſio iure immoto fundata. Rationes apponere extra ſcopum noſtrum eſt. Ad *Zonarum* c te remittimus. Et *Romana ſedis* praxin pro nobis adducimus. Quia enim ſcit Pontifex *conceſſionem* vrbis non eſſe modum quo ſe imperatoris eximat poteſtate & ſuperioritate, *ad Conſtantini* properat *donationem*. Quæ, quia & ipſa inſufficiens, hac relicta, *poteſtate propria*, et ea quidem *immediata* d eandem exemptionem ab imperatore, ſuperioritatem in imperatorem ſibi debitam probare conatur. e Cur? Vt vel ita monſtret

a *Vi. Azpilc. in relect. C. nouit. de indic. not. 3. n. 166.*

b *Vid. quæ cont. Becanum nos pro Libertate Anglie.*

c *tr. de Rom. imper. n. 169.*

d *Vid. Bellarm. nella riſpoſt. ſupra citatum.*

e *de poteſt. pont. in temp.*

strent id quod vrgemus, nempe *collationem non esse modum eximendi quem a superioritate & iurisdictione conferentis.* Te ipsum tandem adducamus testem contra te ipsum. Monasteriorum iura ab eodem Rege Eadgaro Monasterijs indulta, quo *a te* indigetantur nomine? *Priuilegiorum.* Firmatur hoc a te a testimonio *Gwillelmi Malmesburiensis* b qui, vt *a te* citatur & refertur, sic *de Eadgaro Rege* & priuilegijs Monasterio a se concessis: *Recogitans vero, quam multa temeritas humanæ lenitatis quibusdam solet subrepere; verensq; ne forte quis in posterum vel hæc priuilegia loco illo auferre, vel monachos inde moliretur eijcere: inclyto Domino Ioanni Papæ, qui Octauiano in regimine honoris successerat, direxit idem chirographum regia liberalitatis, orans, vt & ipse hæc roboraret scripto Apostolica auctoritatis. Qui benigne directam suscipiens legationem, concordi assensu Romani Concilii sancita ab iis firmauit, scribendo Apostolica auctoritatis præceptionem, terribiliter intorquens in violatores, si quis forte emerserint, perpetui anathematis vltionem.* Priuilegium ais. *Quid priuilegium? priuilegiorum quæ natura?* Ex descriptione constabit facillimè. Quæ quamuis varia a varijs, ita tamen a nobis, & haud inconuenienter: *Est ius speciale certæ personæ ex certa causa, ab eo qui concedendi & legem condendi habet potestatem concessum & datum*: Singula possemus rationibus & auctoritatibus firmare *Ictorum*, laxi si vellemus esse in re manifesta. Dicimus esse *ius speciale.* Igitur *respectu generis*, aut magis in materia iuris cum iureconsultis, *speciale respectu iuris communis.* Iure igitur considerato erit quodammodo *derogatorium iuris illius cuius respectu tale.* Iure autem communi considerato, quid magis verum, magis indubitatum quam hoc iuris manifestissimi? *Princeps legibus solutus est.* c Rectè. Quia enim *legis virtus in puniendo & præmiando:*

a *d. Tab 12.*
b *de gest. regum Angl. lib. 2. c. 8.*
c *l. 30. ff. LL.*

a *l.7.ff.LL.*
b *l.3.ff.Iurisd.*

miando: a horum autem nullum, illud prius maximè, ſine *mero* fieri queat *imperio* & gladij poteſtate: b poteſtatem autem gladij reſpectu ſuperioris & in ſuperiorem nullus habeat: quod, ſi rectè memini, *tuipſe* probaſti & *Becanus in Miſcellaneis*: c cui accedit generalis omnium nationum praxis: principe autem in republ. cuius princeps, nemo ſuperior: quis enim vltra ſupremum dabitur gradus? quis vltra ſummum? Extra circulum ſupremum manum ſi quis extenderit, *in nihilo* manum habiturus: cum inſuper & infinite differant *iura publica & iura priuata, regalia & reſeruata*, d vt ab vno ad alterum fieri poterit in iure firma & conſtans illatio? vt fieri poterit a iure ſpeciali ad ius regale deciſio? *A ſeparatis*, inquiunt iura, *ad ſeparata non datur concluſio.* Nullum igitur priuilegium, iure & ſecundum ius examinatum & conſideratum iuris concedentis erit cuerſorium, ſed vice verſa erit iuris concedentis & eiuſdem ſuperioritatis defenſorium. Quia ſpeciali fauore quo priuilegiatum vltra reliquos iuri communi ſubiectos proſequitur, eundem vltra illos ſibi obligat. Ad rem præſentem hæc applicata qualem dabunt concluſionem? Concluſionem ex præmiſſis immotis & veriſſimis, immotam hanc & veriſsimam: *Duplici vinculo ſubiecti clerici priuilegiati regi a quo priuilegium.* Oſtenſo iam et probato hanc eſſe naturam, hunc effectum priuilegiorum, quid actum conſebimus literis pontificis priuilegia iam rectè et legitimè et plenariè a rege data corroborantis? Sic enim tu, ſic ſupra citatus a te hiſtoricus. Priuilegiorum corroboratione omne id quod natura priuilegiorum corroboratorum in ſe habet, firmatum. *Firmata* igitur *Regi & omnibus ſucceſſoribus regibus Anglia in clerum ſuprema poteſtas: in clerum animaduerſio: imperata clero ſubiectio, obedientia. Vtrumq; execrationibus in contra facientem munitum.*

c *de fid. hæret. ſer.*

d *Interpp. in tit. Quæ ſint regal.*

Caue

Caue itaq; *mi Rossweide*, pœnas illas, dum contra illa pœna dicta quibus apposita pugnas, incurras. Caue *Regem nostrum Serenissimum* impium dicas. Hunc enim si, sin ul & *Eadgarum* necessum dicas talē, *Eadgarus* enim *Rex* numnon is quoq; in *clerum superioritatem, in clerum* rectè exercuit *iurisdictionem?* Quid enim Eadgarus? *Eiecit & introducit.* Eijcit *ex Ecclesia.* Introducit *in Ecclesiam.* Eijcit ex Ecclesia *clerum turpiter viuentem.* Introducit in Ecclesiam *clerum ordinate viuentem.* Audiamus Eadgarum: *Habes hic tecum Venerabilem Patrem Ethelwaldum Wintonienſem Episcopum: habes Reuerendum præsulem Wigornienſem Oſwaldum. Vobis istud Committo negotium, vt ex Episcopali censura & regia auctoritate turpiter viuentes de Ecclesiis eijciantur & ordinate viuentes introducantur.* Dices id eijcere et id introducere esse Episcoporum. Non negamus. Sed hoc introducere, hoc eijcere Episcoporum vnde? Ab *Eadgaro* Rege. Sunt manifesta verba: *Committo vobis eijciantur, introducantur.* Commissione itaq; Episcopi habent quod habent: Commissione a rege data et concessa. Commissionis autem natura quæ? *Commissarius habeat potestatem in rem commissione demandatam a committente.* Ad praxin notissimam et Ictorum te ablegamus scholas. Ipsum itaq; eijcere clerum, ipsum introducere clerum *Regis erit mediantibus Episcopis.* Non enim medio adscribenda actio et instrumento, sed causæ suæ et principio mouenti motorive. in hisce quoq; in quibus principium agens mouensve sine interuentu medij seu instrumenti finem suum consequi non potest. Sed restringes commissionem ad auctoritatem regiam. Vbi igitur, concludā, pontificis in tēporalibus potestas? *Bellarmino*, restrictione illa tua contradicturus *Pontificis* omnem potestatem et *te ipsum* euersurus. Expressam ab Eadgaro factam mentionem Constantini, huiusq;

iuſq; exemplo ſe eundem et actum ſuum tutatum haud diſſitemur. Vt enim poſſemus? Apertiſſima ſiquidem Regis verba: a *Aemulamini, o Sacerdotes, æmulamini vias Domini & inſtitias Dei noſtri. Tempus inſurgendi contra eos, qui diſſipauerunt legem Dei. Ego Conſtantini, vos Petri gladium habetis in manibus, lungamus dexteras, gladium gladio copulemus vt eiciantur extra caſtra leproſi, vt purgetur Sanctuarium Domini, & miniſtrent in templo filii Leui, qui dixit patri & matri, Neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro vos.* Num tamen Conſtantini aut factum aut dictum tibi quid tutamini? Ais. Quia dicis: *Quin hæc legens non ſtatim intelligit, Eadgarum regem, boni regis, boni Principis functum officio? qui, cum Conſtantini gladium ſibi meritiſſimò vindicaret, ſuum tamen Petro reliquit, ſuum Eccleſiæ non abſtulit. Tantum Epiſcopos monuit, ne ſinerent putrida membra manuleſcere, Petri truncanda gladio: De quorum omnium moribus ad Vos ſpectat examen.* Et mox: *Nec vlla ſuſpicio eſſe poteſt, Eadgarum Regem qui Conſtantini gladiũ ſibi depoposcit, aliâ eum mente, aliâ manu vibraſſe, quam Conſtantinus olim vibrauerat.* Et ſtatim: *Non hic Conſtantinus de moribus, non de fide ſibi iudicium ſumſit, ſed vtrumq; Epiſcoporum iudicio reſeruauit.* Conſtituis differentiam inter vtrumq; munus, Regis ſcilicet et Sacerdotis. Et quidem ex ipſis verbis Eadgari. Benè. Et nos idem firmamus: idem hic in Anglia diuerſum eſſe ſeparatumq; iam ſupra monſtrauimus. Et res ipſa loquitur et teſtatur. Sed quæ ratio concluſionis vel conſecutionis ad poſitionem? *An clerici exempti ſuperioritate & iuriſdictione ſeculari regum & principum?* Nulla. Quia exemplo Conſtantini verba Eadgari aiunt, Epiſcoporum eſſe iudicare de moribus clericorum. Accepit ad allia, a baculo ſtante in angulo ad victoriam Pompeij. Quia enim de exemptione, num adſcendẽdum? nũ

a *d. Tab. 12.*

ab

ab inferiore ad superius concludendum? Ipsa naturalis *& natiua exemptionis & superioritatis significatio*, num non talis, vt demonstret descendendum et ex superiore demonstrandum inferius? Notum *exemptionis naturam iuris quodammodo esse quandam priuationem*. Ius autem hic quodnam? Inter clericum et principem: *An principis iuris dictione exemptus clericus*. Ad hoc quid tu? quid tui? Affirmatis. Qua ratione? Quia clericus in clericum habet iurisdictionem. Principij petitio. Circulus. Id siquidem quod maxime in controuersia modus probandi assumitur et concludendi. Hęc quęstio: *Vnde clericus, qui in clericum talem habet iurisdictionem, eandem habeat, quo iure & ille ipse exemptus*. Hoc, hoc probandum, quia hoc tantum in quæstione. Textu autem ex Ruffino de verbis Constantini omnes qui pro clero stant quo multum vtuntur, vt ex quo conentur probare clerum non tantum exemptum superioritate regum et principum seculari, sed clerum eo ipso textu constitutum superiorē et iudicē regibus et principibus tu solus cur cōtradicas, est quod miremur. Licet enim maiusculis opponas *Nos Vos: Nobis Vobis: Homo Dii*: statim tamen nescio tui ne oblitus an veritate coactus, asseris esse subditos clericos clerico. Ais namq; : *Non hic Constantinus de moribus, non de fide sibi iudicium sumpsit, sed vtrumq; Episcoporum iudicio reseruauit*? Episcoporum Iudicio? Episcoporum Iudicio, Episcoporum, diuersis ex causis iurgia, de moribus culpas, de actibus querimonias? Hæc enim fuisse tu ipse refers. At quid respondebis ipsi Constantino, qui hæc omnia humano iudicio omni exempta velit omninò, qui *solius Dei* iudicio hæc omnia dicat esse terminanda? En verba planissima, dubitatione omni carentia: *Deus vos cōstituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoq; iudicandi, & ideo nos a vobis rectè iudicamur. Vos autem*

non poteſtis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium, & veſtra iurgia, quacunq; ſunt, ad illud diuinum referuentur examen. Vos etenim nobis a Deo dati eſtis Dii, & conueniens non eſt vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diſcernit! Scio vt excuſurus: Conſtantino ſcio quid reſponſurus. Ibi nempe eſſe oppoſitionem, aut ſi hæc non, quæſtionem inter laicum et clericum, inter Imperatorem et Epiſcopum; inter *Nos* (*Imperatorem*) *& Vos* (*Clericos*) Nil iuuaris. Ipſe ſiquidem contra Conſtantinus: *propter quod*, inquit, *DEI SOLIVS inter vos expectate iudicium.* Si *ſolius Dei*, vt Epiſcoporum? Si vnquam alibi hic certiſſime vnius limitata et quoad reliqua omnia priuatiue facta incluſio, reliquorum erit excluſio, imprimis cum Deus et ſacerdos, et quidem omnis ſacerdos, quia de omnibus in genere textus, ſint termini inter quos, in quæſtione quod eſt, verſetur. Hoc ſi non vis, aut falſus neceſſum ſis tu, et Conſtantino, et ita pietati, et Eadgaro contrarius, aut vterq; tam Eadgarus quam Conſtantinus, aliter exponendus. Neutrum ſi admiſeris, fatearis neceſſum tibi contrarius, nec clerici clericos ſubiectos poteſtati. Ad quos enim Conſtantinus? *Ad Clericos.* In promptu ſunt verba. Num in particulari ad aliquot ex Clericis? Tacet de hoc textus, quia affirmat eundem loquutum in plurali. *Vos, Vobis*, habet textus. Nec poteris plurale hoc ad ſupplicantes tantum reſtringere. Hoc enim ſi feceris, ad te quid exhinc incommodi? Ergo, neceſſum concludas, illi ad quos Conſtantinus hæc loquutus non eſt, qui non ſupplicantes, qui nulla iurgia, ſimulationem qui nullam, Dij nõ ſunt, ſacerdotes non ſunt, iudicari poſſunt. Si conceſſeris Conſtantinum loquutum de omninò omnibus, id quod ſupra iam poſuimus ſequetur.

tur. Aut igitur ipſius Pontificis in omnem, aut Epiſcoporum & reliquorum inferiorum in clerum ſibi ſubiectum contra Deum & pietatem iuriſdictio: aut, vt dixi, aliter Conſtantini verba explicanda, maximè cum *omnem omnibus omnino legibus eximere & ſoluere clerum impietatis ſit eximia*, vel omni Pontificiorum ſchola adſtipulante. Pium itaq; clerum ſubdamus *Deo*. Huic ſi, & illis qui *Nos*, qui *miniſtri*, qui *Vicarii Dei*, qui *vtriuſq; tabulæ cuſtodes*, qui *ſuperiores*, qui *habent gladium*. Quia alias contra *Paulum* a contra *Petrum*, b Haud me latet quid ad loca hęc ſcripturæ *Vos*, & ita quid *tu* reſponſurus, illis tamen inhærere nolumus, cum trita & multis & prolixe ab alijs diſceptata. Videbimus ſi ex hiſce Conſtantini ſuperioritatem Regibus vindicare in clerum, clerum ſuperioritati & iuriſdictioni regum ſubijcere valeamus. Licet enim verba ſint clariſſima: *Deus poteſtatem dedit vobis de nobis etiam iudicandi*, tamen ex ijſdem quod innuimus ſine dubio deducemus. Et quidem ex *ſupplicantium confeſsione, imperatoris reſponſione & ad tempus ipſum locumve applicatione, & tui ipſius mente*. Qui enim illi, & quid ad imperatorem? Ex ipſa imperatoris patet reſponſione, patet ex te, patet ex Ruffino. De illo ſeu de *Qui*, item de quo vterq; tam Conſtantinus quam Ruffinus: *Cum hac* inquiunt, *verba dixiſſet, omnes ſimul querimoniarum libellos iuſsit exuri, ne innoteſceret vlli hominum ſimultatio ſacerdotum*. Ex vtroq; & de vtroq; tu: *Conuocauerat*, inquis, *ipſe (Conſtantinus) ex ſententia ſacerdotum apud vrbem Nicæam Epiſcopale Concilium, vbi cum de Arrii fide & impiis aſſertionibus agendum eſſet, pleriq; Epiſcopi diuerſis ex cauſis iurgia, de moribus culpas, de actibus querimonias proferebant*. En *ſacerdotes*. Quid? *Queruntur*. Quo fine? *Iudicentur*. Verba teſtantur. Sacerdotes igitur, conquerentes quia, & dum conquerentes, fa-

a *Rom.* 13.
b 1. *Pet.* 2.

ten-

tentes et firmantes *Imperatorem legitimum esse & indubitatum, quo ad mores, quo ad actus:* ad hæc enim tu ipse refers querimonias: *Iudicem.* Constantinus autem num illi quod adstruunt negat? Vt posset contradicere illis, quos iudices sibi a Deo asserit datos, a quibus ipse recte iudicetur, qui Dij, iurgia quantumvis inter se et simultates alentes. Iudex igitur Imperator clericorum, Dijs ipsis, et quidem in propria causa, fatentibus. Cur igitur istis imperator vsus verbis aut quo fine vsus? Rationem alteram *historicus* adfert, *tu* ipse alteram. Ille, optimo consilio id fecisse imperatorem, ne nimirum priuatum iurgium, publico, et eo quidem negotio religionis in præiudicium: ne infirmiores ex discordia sacerdotum in rebus priuatis concluderent ad discordiam in religione quoq; et fide. Repetamus verba: *Cum hæc dixisset, omnes simul querimoniarum libellos iussit exuri ne innotesceret vlli hominum simultatio sacerdotum.* Tu, ne tempus compositioni religionis destinatum litibus tereretur inanibus. *Conuocauerat*, inquis, *ex sententia Sacerdotum concilium, vbi de Arrii fide agendum esset.* In tuo aperta latet confessio pro nobis. In illo aperta interpretatio et relatio verborum Constantini ad scripturam et eiusdem exemplum: in vtroq; indubitatum pro regum et principum in clericos potestate, et clericorum regibus et principibus subiectione, testimonium. *Tu*, dum ais Constantinum hoc ipsum fecisse *ne tempus religionis negotio destinatum inutiliter tereret*, quod idem, vt recte mones, innuit Constantinus ipse dicens: *Et ideo his omissis, illa quæ ad fidem Dei pertinent, absq; vlla animorum contentione disquirite:* nil agis aliud, quam vt casu, vel per casum exceptum firmes regulam in contrario. Obstaculum igitur et incommoditatem temporis Constantinus et tu adferendo rationem denegationis, adfertis eiusdem temporis obstaculum

lum remotum, rationem superioritatis in imperatore, subiectionis in clero. Et quidem hoc ipso denegationis momento. Notum siquidem, *externa causa interuentu differri actionem aliquando & impediri, haud totaliter tolli.* Concilij igitur tempus celebrati, quia fuit, vt demonstratum, causa suspensæ iurisdictionis in clericos, idem iam remotum faciet virtus operetur eiusdem iurisdictionis imperatoris in clerum. Hisce itaq; præmissis, quid tandem? Dicamus necessum, Constantinum pium vt habeamus, ipsam scripturam normam omnium quæstionum & actionum, te tibi, omnia veritati restituamus, vindicemus, quid obstabit, quo minus verba Constantini, sine eorũdem corruptione, ad mentem & normam pietatis redigentes dicamus, *nihil aliud in ijsdem contineri nisi obiurgationem modestam & acerrimã simul, sacerdotes qua corripiuntur ob iurgia & simultationes suas, & admonentur, simultates & iurgia deponant, eorum iudice controuersys neagant & querimonijs.* Verba sunt clara. Conuenit itaq; *Constantino cum Paulo* a cum *Bellarmino* b tibi. Nam & *Cardinalis* non veretur concludere ad superioritatem cleri in regem ex obiurgatione, qua *Apostolus* monet *Christianos* iniuriam magis patiantur, Deo vindictam committant quam in religionis præiudicium coram magistratu incredulo compareant: cum tamen longe alia mens sit Apostolo, et Constantino. Vt enim ille, sic hic: Vos simultates, vos iurgia, vos odium, vos litigia, vos querimonias? Vel, tuis vt vtamur, vos ex diuersis causis iurgia, vos de moribus culpas, vos de actibus profertis querimonias? Pessimè agitis & muneris vestri & pietatis obliuiscimini, dum vos iudices litigia exercetis inter vos ipsos? Vos litigiosi, quos Deus constituit sacerdotes? Vos, quibus Deus dedit potestatem iudicandi de nobis quoq; ? Suppleamus ex Paulo: c de ipsis quo-

a *Rom.13.1. Cor.6.*
b *de pot.pontif. in temp. c.31.*
c *1.Cor.6*

quoq; Angelis: vos, a quibus exinde & nos iudicamur rectè? Vos, qui non poteſtis ab hominibus iudicari? Quare? Quia vos conſtituti eſtis nobis Dij. Vos igitur, qui Dij eſtis dati nobis, iurgia inter vos alitis & ſimultates? iurgia, quæ, ſi mea, veſtra tamen adhortatione deponenda magis, quam in iudicium publicum adducenda? Vos, quos, me ad ſimultates deponendas hortantes ex officio ſcripturæve teſtimonio, ego iudicare neutiquam poſſem, in hoc a Deo mihi conſtitutos Deos? Hæc Conſtantini cum illis Pauli ſi conferueris, inuenies ſuperioritatis hoc ipſum eſſe obiurgationis genus argumentum indubitatum. Et te ipſo teſte. Annon expreſſe ais, eſſe admonitionem qua ad clerum vtitur Imperator? Quia affirmas Eadgarum monuiſſe tantum: et hoc exemplo Conſtantini. Non futurum extra rem, verba tua ſi repetierimus: *Eadgarus, cum Conſtantini gladium ſibi meritiſſimo vindicaret, ſuum tamen Petro reliquit, ſuum Eccleſiæ non abſtulit. Tantum Epiſcopos monuit, ne ſinerent putrida membra inualeſcere, Petri truncanda gladio.* Si igitur et Conſtantinus hos monuit, et quidem hoc ipſum ex officio, vt negare poteris ſuperioritatem monentis in quos monet? Ad ſuperius a nobis circa monitionem dicta nos remittimus. Define, define itaq; *Roſſweyde*, aſſerere, Angliam neq; fidem habere, neq; Eccleſiam, neq; pietatem, neq; Eadgaros, neq; Dunſtanos. Ex ipſis ſiquidem tuis firmiter deductum et demonſtratum fundamentis *Angliam & fidem habere & Eccleſiam, & pietatem, & Eadgaros, & Dunſtanos.* Concludamus iam tecum pari in Regem noſtrum, Eadgarum noſtrum, voto: *Longum vivat Iacobus Sereniſſimus Anglici orbis baſileus, flos, & decus anteceſſorum regum, pacificus, non minus memorabilis Anglis quam Romulus Romanis, Cyrus Perſis, Alexander Macedonibus, Arſaces Parthis, Carolus Magnus Francis.*